



**C**arentinus Agrippinensis Episcopus fuit tē-  
pore Iustini iunioris, anno post partam salu-  
tem 570. Hic erat multis uirtutibus, & magna lite-  
rarum cognitione instructus. propterea inferio-  
rem Rheni tractum in uera religione diligēter in-  
stituebat, atque uitæ sanctimonia & insigni libe-  
ralitate multos ad meliorem uiuendi rationem ad-  
duxit. Itaq; eum fortunatus li. 3. in Elegia quadam  
his uerbis commendat:

Carentine decus fidei, deitatis amice,  
Nomine de proprio chare perennis amor.  
Pontificem pollens Agripina Colonia præfert,  
Frugiferis agris digna colone Dei.

Itaque proculdubio Carentinus multos doctrina & pietate præstantes di-  
scipulos moriens eo in loco reliquit, qui Dei gloriam promouere, & idolo-  
rum cultum apud finitimas gentes destruere cœperunt. Hist. Eccles. Cent. 6.  
cap. 10. In eo loco postea Carolus Magnus ex Traiectensi Ecclesia Archie-  
piscopatam constituit, atq; ei finitimos Episcopatus subiecit.